

6 CAP. III. OMNES QVONDAM CIVITATES

Remedia ad
victum &
cultum,
a) opificia
ruricolis in-
terdicta

b) Jus coquen-
di & uenden-
di cerevisiam.

rum rei familiaris. Unde enim victum & cultum sibi parassent homines manumissi, nisi rustici omnibus opificiis interdicerentur; opifices tantummodo in urbibus habitarent; collegia instituerent, quorum opera agricolæ & homines villares uterentur. Accesit, quod principes cerevisiæ monopolia ciuibus darent, ut illi cibaria acceperunt ab agricolis. Quapropter hodieque nulli *Landsassio* ius vendendi cerevisiam, nisi ex privilegio singulari competit. Id quod doceri debet, cum facta non præsumantur. Id vero plane enormissimum est, si ipsi *Landsassii* cerevisiam suam in civitatem vehere & ibi civibus vendere cupiant. Everticulum hoc dixeris civitatum. Ut parum absit, quin corruat eju s generis *Landsassio* concessum privilegium; quod boni principis non sit, ordinum iura invertere ac perturbare. Sub & obreptionis sane accusari fidenter potest, nisi derogatoria clausula in illo habeatur. *Imo neque derogatoria clausula extenditur ad ea, quibus verisimiliter à principe non fuisset derogatum, si rei aut iuris exactam notitiam habuisset.* Petr. HENRIQUEZ Cour. 75. n. 26. Mar. ANTON. lib. 1. var. resolut. 46. n. 10.

CAP. III.

OMNES QVONDAM CIVITATES IMPERII
MEDIATAS FVISSE.

§. I.

Omnes sub
Carolingis
civitates im-
mediatæ.

TEmpore Carolingorum nemo inter ordines Germaniæ fuit, qui imperatori pareret principe intermedio; quapropter neque de civitatibus dubi-